

Johann Fecht    Johann Wilhelm Stricker

## **Theses Ex Universa Theologia Polemica Selectae**

Rostochii: Weplingius, 1695

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740913301>**

Druck    Freier  Zugang



RU theol. Sept. 1695

Fechtius, Joh. /d



*LX*

**THESES  
EX  
UNIVERSA  
THEOLOGIA  
POLEMICA  
SELECTÆ.**

*269*

QVARUM PARTEM PRIMAM  
D. B. 7.

*I*

CONSENTIENTE R. FAC. THEOLOGICA,  
*SUB PRÆSIDIO*

**JO. FECHTII, D.**

ET PP. CONSISTORII DUC. ASSESSORIS  
ET DIST. ROSTOCH. SUPERINT.

PRO PUBLICO EXERCITIO

VENTILANDAM PROPONIT,  
AD D. XXVIII SEPT. A. M. DCXCV.

*1695*

**JOH. WILH. STRICKER,**  
GUSTROVIENSIS.



ROSTOCHII.

JOHANNIS WEPPLINGII, Acad. Typographi.

THESES  
BY  
UNIVERSITY  
OF  
ROSTOCK  
PHYSICS  
GUARDIAN  
D. W. J.  
CONSTITUTIONAL

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

# THESES EX THEOLOGIA POLEMICA!

## I.



Controversia de genere Theologiæ non ita necessaria est, quin, quæcunqve in Theologiâ traduntur, sine eâ intelligi possint.

II. Theologiam Gentilium puriorem omnium clarissimè repræsentant aurea *Pythagoræ* Carmina, magisque aureus *Hieroclis* ad illa commentarius, à

*Merico Casaubono* illustratus, tantam ubiqve & pietatem & conscientiæ curam præferens, ut tale quid in ullo alio Gentilium libro frustra quæras, immò in plurimorum Christianorum scriptis, Gentilem sapientiam amantibus, haut deprehendas; atqve hanc ipsam ob causam auro contra habendus.

III. Cum alicubi lego: *non potest aliqua cælestem veritatem agnoscendi esse via sine pietate*, inde concludo, neminem converti posse à tenebris ad lucem, ab erroribus ad veritatem, priusquam sit pius; & è contra pius aliquem esse posse, etiam si veritatem nondum cognoscat, sed adhuc in tenebris & erroribus versetur; quo pacto sanctificatio prior erit illuminatione, quod absurdum. Cæterum pietatem viam esse ad profectum in veritate, non negatur.

IV. Cum quis ita argumentatur: *veritas Divina de legitimo Dei cultu præstando reddit certos; ergo pietatem comitem habet individuan*; perinde facit, ac cum quis ita colligit: *mandatum Principis de voluntate ipsius certos reddit*; ergo obedientiam comitem habet individuan. Ergo nemo mandatis Principis inobsequens est.

V. Cum *P. D. Huetius*, vir longè doctissimus, in præfatione Libri de Demonstratione Evangelicâ, profitetur: *probari posse religionis Christianæ & Scripturarum veritatem eo genere de-*

A

mon

monstrationis, quod non minus certum sit, quam demonstrationes ipse Geometrica, illudque §. III, exponit: posse religionis Christianæ veritatem demonstrari ex ijs principijs moralibus, quibus fidem experientia magistra conciliat, quæq; nemine contradicente, ac tritissimo pervulgatissimoque omnium usu & consensu recepta sint, ultrò consequitur, criteria illa, ex quibus tantum demonstrationis robur promanat, certitudinem gignere indubitam, nec intellectum quicquam causæ habere, quo minus fidem suam eidem adponat. Enimverò, quomodo cum hac Huetij assertione conciliabis, quando §. statim sequente IV. ubi cum his criteriis gratiam Christi, cujus solius ope fidem eam consequimur, sine quâ placere Deo non possumus, componit, non veretur asserere: viam sensuum ac rationis, per quam in animos nostros illabatur cognitio rerum, obscuram esse, ancipitem, fallacem, ad veritatis notitiam malefidam & intuitam, infinitis obseptam Philosophorum triticis & questionibus? Quid est destruere, quæ ante posueras, si hoc non est? Quid enim? Demonstrationes Geometricas esse obscuras, ancipites, fallaces, malefidam, intuitas? Quæ singula Geometricis demonstrationibus in adjecto contradicunt. Itane anceps est, utrum æqualibus, si addideris æqualia, æqualia iterum fiant? Itane obscurum est, bis duo esse quatuor? Itane fallax est, Romam aliquam in mundo esse; cui rei fidem experientia magistra conciliat? Itane ad veri notitiam malefidum & intuitum est primum omnium rerum principium: impossibile est, idem simul esse & non esse; principia item moralia: DEum esse colendum, honestè vivendum & suum cuique tribuendum esse; quæ nemine contradicente & tritissimo pervulgatissimoque omnium usu & consensu recepta sunt? Nempe lumen majus obscurat quidem minus, non tamen tollit penitus & destruit.

VI. Sententia Samuelis Boblij, admirandæ de cætero industria in hac Academia quondam doctoris, quæ ut nomina, membra humani corporis de Deo enunciata, de eodem propriè enunciare posset, abstractum ab omnibus nominum exemplis

exemplis conceptum, eumque ita universalem, ut omnibus in proprietate aptari posset, subtili invento formavit, vocis originem Grammaticam cum usu recepto confundit. Nec enim nomina id proprie significant, quod ab omnibus conceptibus particularibus abstrahitur, sed quod usu jisdem imponitur. Verba enim valent, sicut nummi.

VII. Nihil pervulgatum magis, etiam in Theologiæ compendiis, est, quam dicere: Patri in Divinis appropriari creationem, Filio redemptionem, Spiritui S. sanctificationem. Et quidem, ut res hæc rectius intelligatur, sciendum est, ob duplicem rationem aliquid personæ alicui appropriari. Primo ob unionem; quo pacto quidem Patri vox in Jordane è cælo delapsa, non verò creatio, & Spiritui S. species columbæ, non sanctificatio, appropriatur. Deinde ob personalem ordinem. De hac appropriationis specie cum quæritur: cur Patri approprietur creatio? vulgò responderi videmus: quia Deus Pater in creationis opere se potissimum manifestavit. Atque ita de cæteris personis & operibus, ipsis appropriatis. Quod ut de redemptione verum est, ratione unionis, quia Filius Deo sibi carnem univit, inque eam sese manifestando, agendo, patiundoque genus humanum redemit; ita velim mihi exponi quomodo itaque Pater in creationis opere se manifestaverit? An personam suam in corpore assumpto ad extra sistendo? Id verò historiæ repugnat. An quod frequentius Patri creatio quam vel Filio vel Spiritui S. in Scripturis attribuitur? Tum dubium per æquè dubium solvitur; quæretur enim illic: cur Patri frequentius, quam cæteris tribuatur creatio? Et sponse ferè certare ausim, plura in Sacris loca esse, ubi Filio creatio quam Patri adscribitur. Quare ad ipsius potius operis appropriati cum proprietate personali Patris convenientiam, quam ad alia quælibet respiciendum esse videtur. Ut enim creatio primum omnium operum Divinorum est, quod nullum aliud antecedere potest, redemptio secundum, cum redimi nihil possit, nisi fuerit ante creatum; sanctificatio tertium, cum id sanctificetur, quod non creatum tantum antea, sed & redemptum

ptum est: ita hæc ipsa ordinis ratio & in personis Divinis occurrit, dum primum opus primæ personæ, secundum secundæ, tertium tertiæ appropriatur; atqve adeo opera illa ad extra sunt quasi speculum ordinis, intra personas Divinas obtinentis.

**II.** Quoniam in utramque partem inter Theologos pariter & Philosophos disputetur: utrum mundus creari poterit ab æterno? negativa tamen & verior citra dubium est & tutior. Quod enim ab æterno est, id est æternum, neque sana ratio inter hæc duo ullam deprehendere potest, quantumlibet intensis omnibus ingenii nervis, differentiam. Si verò creatura vel æterna vel ab æterno esse potest, invalidum est argumentum, quod pro Divinitate Filii Dei ex æternitate ejusdem hactenus adversus Arianos deduxerunt consensu quodam Theologi nostri. Nec tutabitur illos distinctio inter id, quod ab æterno est per dependentiam & quod æternum est independenter. Æternitas enim dependens verè *συνεχόμενον* est. Aut enim quod dependenter ab æterno est, aliquando nihil fuit, aut non fuit. Si non fuit; ergo nec creatum erit, cum creatio sit productio rei ex nihilo. Si aliquando nihil fuit & tamen fuit ab æterno, tum eadem consequentiâ aliquid durare poterit in æternum & tamen recidere in nihilum. Quod est contradictorium. Colligendi vis adeo manifesta est, ut assensum, quam primum auditur, mereatur.

**III.** Perquam absurdè olim Epicuræi, quique hodie in Galliâ eorundem doctrinam amplectuntur, Deistæ providentiam Divinam ideò negant, quia ea consistere nequeat cum illâ rerum in hoc mundo confusione, quâ sæpe sursum omnia deorsumque verti videntur, neque tamen à Deo, licet centies invocato, in ordinem rediguntur. Cum Deum Deum ordinis esse extra dubitationem sit collocatum. An enim in regno suo Rex ordinem non amat, quia aliquando necesse est, ut quietem & pacem publicam non nisi per confusissimos armorum conflictus & hominum commissiones obtineat? Anne contempti ordinis damnandus est coquus, si absque confusione plurimas rum herbarum carniūque pretiosum jusculum conficere

non

non potest? Aut Pharmacopœus, si ad conficiendam theria-  
cam non herbas tantum & fructus & flores & radices & aromata  
& gummi & semina & vina & succos & olea & mella & ligna &  
infinita talia, sed ipsas de venenatâ maledictaque viperâ carnes,  
in ollam unam confundit, donec hæc omnia vi ignis probè ma-  
cerata & qvafi consumpta in unam ordinatissimam saluberrimam  
qve medicinam coagulentur? Nec Deus, ut ordinis Deus sit,  
neesse habet, ut imploratus confusioni statim & è vestigio obi-  
cem ponat, qvia nec pater degenerem filium, qvem domo ejecit,  
sine morâ recipit in gratiam, qvantumvis centies à Filio rogatus,  
sed illud tempus expectat, qvo certioribus indiciis pœnitentiam  
Filii exploraverit.

X. Angeli non sunt ministri hominum, multò minus servi.  
Nec enim superior servit minori. Est hæc prærogativa Servatoris  
nostri, cui volenti angeli, tanqvam hero suo, ad nutum adesse, ei-  
qve *Ἀγγέλων* sive *servire* tenentur, Matth. iv. ii. Qvam excellen-  
tiam longo ordine exequitur Apostolus, principio Epistolæ ad  
Hebræos; ubi cum angelos *λαϊκὰ πνεύματα, ministratorios spiritus*  
vocat, statim adiicit, cui ministrent, ei nempe, à qvo mittuntur,  
qvi non est alius nisi ipse Christus, cujus in toto capite nobilitates  
recensentur. Mittuntur autem *εἰς Ἀγγελοῦν Ἀγὰ τὸς μελλόντας κλη-*  
*ρονοῦν σωτηρίας, in ministerium propter eos, qvi hereditaturi sunt salu-*  
*tem.* Non dicit: *εἰς Ἀγγελοῦν τῶν μελλόντων, in ministerium eorum,*  
*qvi salutis erunt heredes;* ita enim hominum ministri fierent; sed  
*εἰς Ἀγγελοῦν Ἀγὰ τὸς μελλόντας, in ministerium propter heredes salutis.*  
Ad eum modum, qvo Princeps præfectos suos ad subditos mittit,  
sibi, non ipsis ministraturos, in rebus tamen, subditorum salutem  
attinentibus. Deniqve non dicit: in ministerium, cujus vi associare  
se electis, eosdemq; custodire debeant, sed propter electos, qvòd  
generalius est. Nam & ad Reges, Principesq; sæpe impios, mit-  
tuntur angeli, non ipsorum, sed piorum causa, ut sub eorum regi-  
mine tutam securamq; agere vitam possint, Dan. IX. 13. Qvam-  
qvam verò infinitas homini utilitates jussu Dei præstent, per id ta-  
men non magis ministri serviq; hominum efficiuntur, qvam Reges  
& Principes subditorum suorum, qvorum usibus universum illo-  
rum officium inservit.

A 3

XI. Pura

XI. Pura naturalia, si vel fingantur tantum existere posse, in Deum tamen peccati & imperfectionis culpabilis causalitatem necessariò refundunt. Quid enim, si Deus, quod utiq; secundum istos assertores poterat, hominem in eo statu conderet? Hominem conderet per se imperfectum, qui actus cognitionis & appetitionis recti & boni commodè exercere non posset, sed vel cæci instar miserè frequenter impingeret, vel vincente in luctâ appetitu in varia peccata sceleraq; prolaberetur. At impossibile est, Deum in creando intendere naturam rationalem perfectam, (cum Deus & natura semper intendant id, quod in quolibet genere optimum est, nec vi naturæ suæ, optimæ perfectissimæq; aliter possint) sine labe, sine defectu, utq; finem suum consequatur, ex absolutâ potentiâ, cui nihil resistere potest, agere, & tamen sine suo destitui. Dic verò, in statu isto homini nullam positam fuisse legem, adeoq; imperfectionem inde ortam, perinde ut in bestiis, omni caruisse culpâ, ita absurdum absurdo cumulabis. Non enim status aliquis sine ullâ urgente ratione excogitandus est, & ut eundem tueri queas, paradoxa alia comminiscenda sunt, isq; status lege exuendus est, sed utrumq; firmis argumentis ostendendum. Quid verò? Anne dices hominem in aliquo statu legem non habuisse? Quæ itaq; illa lex est, quam Deus inscripsit in cordibus, etiam gentilibus? Rom. II. 15. *Qui idem sibi metipsis lex sunt, vers. 14.* Aut naturâ careat homo, in puris naturalibus constitutus, quod in terminis absurdum, aut legem habeat oportet. Sed consideremus hæc, quia non ab omnibus accuratè expenduntur, paulò solidius. Si vel maximè ab Apostolo totidem ferè verbis non edoceremur: legi subjectam esse omnem creaturam rationalem, quocunq; ille in statu consideretur, res tamen ipsa & sana ratio hanc nobis veritatis confessionem sine dubio extorqueret. Hominem enim in puris naturalibus constitutum ratione præditum fuisse, honesta intelligente & svadente, fatentur omnes, & si diffiterentur, hominem esse eadem operâ negarent. Quod enim istud est animal, quod quid bonum sit, quid malum, quid virtutis, quid vitii nomine veniat, quid appetendum, quid fugiendum, quid fas sit amplecti, quid æquum averfari, ignoret? Bestia profectò, non homo. Noverat igitur homo ille purus, honesta ipsi sectanda esse, turpia verò vitanda. Et si in-

cognitum hoc ei naturâ fuisset, doceri hoc ratiocinando, colligendoq; siquidem rationalis fuit & facultatem habuit unum ex altero eliciendi, (quod de intima rationis essentiâ est) hunc in modum potuisset: creavit me supremum Numen, quod est beneficium tam immensum infinitumq; quam inmensæ infinitæq; potentiæ est, facere, ut ex nihilo fierem aliquid. Nec verò me Deus fecit, ut essem res inanimis, verum ut animâ gauderem, nec animâ qualicunqve, sed ut animâ intelligente & volente cætera animalia, tanquam novo & inestimabili beneficio, superarem. Quot hæc beneficia sunt, tot sunt vincula, quibus creatori meo obstringor. Sicut igitur ille infinitam in me ornandum potentiam impendit: ita ego infinitum ei, si fieri posset, amorem honoremq; debeo. Nihil in animâ, nihil in pectore, nihil in omnibus viribus animæ corporisq; esse posse aut debere sentio, quod non obsequio illius devoveri destinariq; par sit. Nihil in appetitu, nihil in intellectu, nihil in voluntate meâ inveniri posse aut debere agnosco, quod obedientiæ ejus se subtrahat; quod contra benefactorem tam benignum rebellet, quod amori & honori in illum meo, sive directo consilio sive obliquo artificio, adversetur. Aut certè irrationalis fuerit homo in purâ naturâ, aut imperfectæ in essentialibus naturæ, (qualem à Deo creari contradictionem implicat) aut ita vi rationis ratiocinatus fuerit oportet. Jam verò hæc talia quid faciunt nisi legem naturalem, quæ est dictatum rectæ rationis de faciendis & omittendis, & si omiseris, aut contra feceris, peccatum adversus eandem? Certè ne concipi quidem potest, quomodo cognoscere quis bonum & obligatione teneri ad faciendum illud possit, & tamen non peccet, cum victus ab inferiori potentiâ contra bonum rebellat: verbi causâ cum homo puræ naturæ illectus dulcedine vini contra iudicium rationis superioris, hoc nefas dissuadentis, mero se & falerno intemperanter ingurgitat, acremq; exinde furorem contrahit, ut proximum convitiis proscindat, denique in illum irruat, eundemqve tollat è medio; aut Deum ipsum, qui tam fragilem ei naturam indidit, maledictionibus & blasphemis dilaceret. Hæc nempe tam nefanda flagitia juxta te, Naturalista, vitia non erunt, sed naturæ langvores; aut tu mihi deniq; exponere, quid rationis habeat homo tuus & quomodo eandem sine re-

cogni-

cognitione debiti & officii & legis alicujus ratioçinando exerceat. Quanto verius deniq; & sanctitati Dei convenientius est, credere, primum hominem aliter condi non potuisse, nisi in exactâ facultatum omnium *συμμετρία* & naturali harmoniâ? Nam & potuisse hoc Deum, impius sit, qui dubitet, & voluisse, sapientia ejus & bonitas, ne de argumentis aliis quidquam dicamus, abunde nobis testatum reddunt. Quid igitur me cogit, inimicam quandam concupiscentiarum *ἀταξία* & inordinatam *σύρραξι* menti meæ imprimere, sacrarum Literarum luce destitutæ, cum possim pulcherrimam affectuum omnium & cupiditatum amicitiam & convenientiam? Inprimis cum quicquid peccaminosæ contentionis & intestini belli naturæ nostræ hodie hæret, id uni lapsui, non naturæ institutæ, neq; naturæ conditori, ubiq; imputet Scriptura.

XII. Memorabile planè est in eâ Academiâ, quæ præ cæteris omnibus & Aristoteli pressè semper adhæsit & doctores Aristotelicæ Philosophiæ habuit omninò incomparabiles, (quod equidem me iudice immortalis illi scholæ gloriæ est) *Jo. Conradum Dürrium*, virum, dum viveret, exacti judicij & solidæ eruditionis, sententiam de immediatâ animarum creatione, cui ab illâ usq; ætate, quâ nomen suum inter *ἠεροπύκτων τῆς ἀληθείας* est professus, illectus auctoritate eorum virorum, qui hanc doctrinam perpetuâ quasi successione in illâ Academiâ tradiderunt, quosq; ipse pro sapientiæ oraculis habebat, tam firmiter adhæsit, ut contra sentientem ne quidem audire sustineret, tamen in senili ætate mutasse; quo tempore nempe, ut ipse ait, juxta Platonis Aristotelisq; dictum animi virtus efflorescat, cum corporis vigor deflorescere incipiat. Fecit id Epistolâ ad *Sira. Bornmeisterum* datâ, ab eodemq; A. MDC. LXXIV. in lucem editâ. Cujus nos argumentum, quia in omnium manibus illa non est, hic repræsentabimus. Dicit itaq; , si animæ humanæ hodie demum aptatis corporibus, suis quæq; temporibus creatæ à Deo, intrudantur, tum id Philospho probandum esse vel sensibus vel ratione. At è sensibus ne quidem remotè & ex effectu, ul- lum esse omnium consensu creationis indicium. Si dicas, id patere ex ratione, cavendum primò esse, ne incidas in cavillum Aristotelis, *qui absurdum esse dicat, petere rationē, in sensu non fundatam.* Deinde si colligas: anima immortalis est & immaterialis; ergo creatur:  
tum

tum' le potius concludere; ergo producitur ad modum producibilitati naturæ suæ spirituali respondentem, nempe non educi ex potentiâ materiæ, qualitatibus materialibus instructæ, formas è gremio quasi suo absorbere solitæ, functiones etiam non alias formis suis materialibus concedentis, quam quæ crassitiei suæ materiali sunt immersæ. Ab his conditionibus servilibus omnibus animam esse immunem. Si dixeris, contradictoria esse: omnis substantia vel creatur vel generatur, tum le, (ob ambiguitatem vocis generandi) potius dicere: omnis substantia aut producitur ex subjecto, aut non ex subjecto. Animam verò produci ex subjecto. Hui, inqvies, ergo est corruptibilis. At respondet: ne cælum quidem est corruptibile, cum tamen ex subjectâ, eaqve crassiore certè quantitate pæditâ, materiâ constet. Deinde per subjectum, ait, non intelligo illud primum subjectum, receptivum formarum materialium & generationis & corruptionis, sed substantiam incompletam, quæ nature suæ fecunditate, à primo creatore inditâ, id habet, ut à composito, cujus est cõpõlexiâ, adhibita & applicata ad cõpõgnas, positis omnibus ad generandum requisitis, producat animam in specie sibi similem, puta spiritualem, juxta cum cæteris sive facultatibus, sive animabus, animam vegetativam & sensitivam modo causandi forma proprio producentibus. Atqve hoc esse Aristoteli *Jug. Des* accedere, extrinsecus, id est, non è potentiâ crassæ materiæ; quamquam specialem generationis animæ modum nunquam expresserit, cum hunc illi morem fuisse sciamus, ut in iis, quibus sensus fides illum destituebat, non temerè quid aut affirmaret, aut negaret. Jam olim summum Philosophum, *Corn. Martini*, possibilitatem saltem, quæ possit substantia immaterialis ab immateriali produci, concessisse, quamquam immeritò à curiosulis irrisum. Ego verò, concludit Dürrius, malim talem aliquam possibilitatem concedere, quam creationem anime admittere, cujus nec tantillum vestigium vel vola in naturâ apparet. Imò potius esse expectandam alteram sui partem, idq; quotidie per creationem, quam natura dudum instituta & tam diu conservata prorsus ignorat & respuit, contenta viribus, sibi primitus à Deo concessis & continuato bodieq; influxu benigne conservatis. Quin potius dictare naturam, totum suppositum produci à generante, quamquam hoc ipsum ex partibus, toto genere Physico diversis, unâ immateriali, alterâ materiali, constet; idq; unicum exemplum sit

fit in rerum naturâ, ubi aliquod generans ex duobus principiis essentialibus, uno immateriali altero materiali, constans, possit effectum sibi univocum & ὁμογενῆ producere: unde quidem hominis præ aliis omnibus præstantiam colligendam esse nullus dubitet.

XIII. Ordinaria de peccatis regula est: *anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Non filius portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij.* Ezech. xix. 19. 20. Intelligiturq; extra hunc contextum, ceu Deut. xxiv. 16. de morte cum temporali, tum æterna. Sed apud Ezechielem mortem cum primis temporalem, quæ simul omnis generis calamitates continentur, respici planè certum esse puto. Nam cum Judæi dubitarent, an aliquando è captivitate Babylonicâ in patriam reversuri essent, si vel maxime pœnitentiam agerent; quia scilicet ob parentum scelera in exilium hoc fuissent abducti, quæ tanta fuerint, ut liberationis illis nullam spem facerent, atq; ideò in ista erumperent verba: *patres nostri uvæ acerbas comederunt & dentes filiorum obstupescunt*, hoc est, interprete Chaldæo; *patres peccaverunt & filij vapulant*; Propheta, Judæorum, ut in Præfatione ait Lutherus, in captivitate consolator, per totum caput negat, hoc proverbium locum tum habiturum, sed Deum eum tantum puniturum esse, qui peccatis se & flagitiis contaminaverit, cæteros verò, Divinis legibus obsequentes à supplicii fore immunes. Planè itaq; probo opinionem D. Dannbaueri, in Hodosophiâ expressam: sententiam Prophetæ hic non esse generalem, sed agere de peccato individuali & personali, deq; gratiosa voluntate Dei, secundum juris rigorem tum non acturi. Nam si universim & citra exceptionem verum esset, patrem non portare iniquitatem filij, nec filium iniquitatem patris, quomodo id conciliaretur cum Decalogico illo: *visito iniquitatem patrum in filiis*? Aut si Ezechielem unicè de morte æternâ, quod perquam absurdè facit *Cornelius à Lapide*, Molen verò de temporali, & quidem in filiis, parentum vestigia prementibus, intelligas, quomodo cum hoc sensu compones infantes, ob parentum delicta in diluvio merfos? Quomodo diserta ipsius Dei verba: *& filij vestri vagi erunt quadraginta annis, ferentq; pœnam scortationum vestrarum, donec deficient cadavera vestra in deserto.* Num. xiv. 33. Quid est, ferre pœnam scortationum paternarum, quam ferre iniquitatem parentum?

FINIS PARTIS. PRIMÆ.





tum' le potius concludere; ergo producitur ad naturæ suæ spirituali respondentem, nempe naturæ, qualitatibus materialibus instructæ, formæ absorbere solitæ, functiones etiam non alias concedentis, quam quæ crassitiei suæ materialibus conditionibus servilibus omnibus animam esse contradictoria esse: omnis substantia vel creatura (ob ambiguitatem vocis generandi) potius dicitur producitur ex subiecto, aut non ex subiecto. Ad subiecto. Hui, inqvies, ergo est corruptibile cælum quidem est corruptibile, cum tamen huius certe quantitate præditâ, materiâ constituitur, *non intelligo illud primum subiectum, receptivum generationis & corruptionis, sed sicut quæ natura sue fecunditate, à primo creatore inditio, cuius est exemplar, adhibita & applicata ad conceptum generandum requisitis, producat animam in specie sibi iuxta cum cæteris sive facultatibus, sive animabus sensitivam modo causandi formæ proprio producat.* Aristoteli *in eadem accedere, extrinsecus, id est materiæ; quamquam specialem generationis ad se expresserit, cum hunc illi morem fuisse sciamus. Jam olim summum Philosophum, Corn. Marti, quâ possit substantia immaterialis ab immateriali quamquam immeritò à curiosulis irrisum. Et malim talem aliquam possibilitatem concedere, quam negare, cuius nec tantillum vestigium vel vola in natura nullo principio, nullo effectu inducitur, ut statim esse expectandam alteram sui partem, idque quotidiana dudum instituta & tam diu conservata prorsus viribus, sibi primitus à Deo concessis & continuè conservatis. Quin potius dictare naturam, ut à generante, quamquam hoc ipsum ex partibus versis, unâ immateriali, alterâ materiali, constituitur.*

B

producibilitati  
potentiâ ma  
tio quasi suo  
materialibus  
rfa. Ab his

Si dixeris,  
atur, tum te,  
abstantia aut  
o produci ex  
sponder: ne  
â, eaque cras  
per subiectum,  
marum mate  
incompletam,  
ut à compositis  
is omnibus ad  
ta spirituales,  
vegetativam &  
que hoc esse  
potentiâ crassæ  
um nunquam  
quibus sensus  
aut negaret.  
tatem saltem,  
i, concessisse,  
cludit Dürrius,  
anima admit-

Immò potius  
homini cælitus  
nem, quam na  
essuit, contenta  
influxu benignè  
situm produci  
ere Physico di  
um exemplum  
sit

